

ferat, sed ad *Exteros ultra mare* transferat. Cum igitur *Gymnasium Revaliense Rectorem, & Directorem* desideraret, & varia fieret *Electio Virorum Eruditorū, Patroni Gymnasii, celebritatis fama* commoti, nulum alium, nisi *HEROLDUM*, ex *Academia* nostra vocare constituerunt. Cum igitur nihil tale cogitantem *Divina Providentia* ad *Egregiam istam Officinam* evocasset, re cum *Summis Patronis, & charissimis Parentibus* deliberata, in *Nomine Domini Spartam* oblatam adire, firmiter animo proposuit. *Nostram autem Academiam* prius dimittere noluit, quam *Specimen* aliquod publicum *Eruditionis Theologicae* post se relinqueret. *Disputationem* igitur *Theologicam, de Mystério Trinitatis, ex Historia Creationis, Gen. I.* sub *meo Praesidio* mascule defendit, & suorum *profectuum Theologorum* publicum monumentum posuit, atq; *valedictionis* instar, proposuit. Quanto cū fructu *Gymnasio laudato* præfuerit, testati sunt *Discipuli* cultiores, & frequentiores ad *nostram, & alias Academias*, studiorum causa missi. Et certe, *Spartam* hanc satis lautam cum alia non commutasset, nisi *durior aeris, & vitus* conditio *valetudinē* ejus, satis alias validā, sæpius dubiā reddidisset. Cum igitur statum suum, atq; *desiderium* *Illustrissimo PROTOSYNEDRIO ELECTORALI* humiliter exposuisset, mox eidem *HERTZBERGENSIS Ephoria* cum *Pastoratu* concredita fuit. *Ante triennium, & quod excurrit, laudato loco* datus est *Superintendens*. Et cum probe suo fuerit *officio* functus, modo provida *Dei cura*, vocatus est ad *Pastoratum, & Inspectionem Ilenburgensem. Antecessorum suorum vestigia* secutus, ob *officii dignitatem*, non ita pridem à *Collegio Nostro Theologico* modeste petiit, ut in numerum *Candidatorū Theologiae* reciperetur, & ad *ἀοκνῶσα*, juxta statuta consveta, quæ *Licentiandis* expedienda sunt, admitteretur. *Difficiles* Nos habere non potuit, qui multis jam *meritis* in *Gymnasis, & Ecclesiis*, se commendatum reddidit. *Cras, Deo dante, Oratione Inaugurali* publicorum *Speciminum* initium faciet, quod hoc publico *Programmate* significare debui. *MAGNIFICUM* proinde *RECTOREM, PERILLUSTREM DN. BARONEM, PATRES, & CIVES Academiae*, sicut & *HOSPITES* alios, eo, qua par est, studio reverenter oro, ut in *Honorem Collegii Nostri, & DN. CANDIDATI*, frequentes adesse velint. *Deus omnis Gratia* respiciat *Ecclesiā, Academiam, Collegium Nostrium, & Nos omnes* sua *benedictione* paterna repleat, atq; *labores presentes, & futuros, DN. CANDIDATI* paternè promoveat, propter *Christum Jesum! P.P. Witteberge, d. XIIIX. Septembr. Anno M DC XCII.*

Septembr. Anno M DC XCII.